



FRANCISCVS Francisci Regis filius primogenitus, natus anno D. 1517. Franciæ Delphinus indole verè regia, & præsumptis à natura virtutis omnis heroicæ egregiis principiis artium (quæ liberalem Principem decent) præcipuè verò militaris disciplinæ studiosissimus, sp̄e de se dedit mirabilem. Sed dum contra hostilia Cæsaris arma Massiliam versus, expeditionem parat, Lugduni obiter confidens, veneno necatus est à Sebastiano quodam Montis Cuculli Comite, qui comprehensus, veneficiùmq; non diffeffus, neq; sceleris conscios, pœnas luit, in quatuor partes membratim helciariis equis distractus. Hic Princeps ad hunc modum veneno intus cruciante malè affectus, ardore tamen adeūdi ad Prouincialia bella patris, vix Turnonē perlatus, magno omnium mœrore expiravit, anno suæ ætatis 20. mense Augusti, 1536. Vide Chro. Fran. & Paulum Iouium.

CAROLVS Aureliæ Dux, Regalium liberorū ex Francisco Franc. Rege natus minimus, adolescens fuit perhumanus, liberalis, & magnanimus, præbito iam de se heroicæ magnanimitatis exemplo, in expugnatione Iudij, oppressione Arluni, Viretonij, ac Luxemburgi, omniumque locorum, castrorum, & arcium circum circa inuasionem, munimento, confirmatione, præsidio, & comœatu. Anno 1542. Bellicosissimus hic Regis filius, in florentissimo dilectæ iuuentutis decore, acutissima febre præproperè extinctus est anno 1545. Vide vt supra.